

Petrus de Vinea

*Ep. V 6 (Ad euitanda
discrimina generalis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 6 (Ad euitanda
discrimina generalis...)*

1220-1266

Eidem, de refectione cuiusdam pontis.

1. Ad euitanda discrimina generalis incommodi, quae in transeundis aquarum decursibus, dum ex pluuiali maxime turgescunt alluuiæ, humanis persepe casibus ingeruntur, artis artificiosae prouidit antiquitas, ut in fluuiialibus locis deputatis ad transitum utriusque ripae compaginata commoditas, minantis aquae prostrata superbia, per pontium tramites uiatoribus pandat iter. 2. Ad quorum constructionem necnon et ad reparamenta uiarum, quae itinerantibus necessario frequentantur etiam sine mandantis oraculo, tanto libentius debent aspirare desideria subditorum, quanto per id generalis utilitas tangitur, et multa personarum pericula rerumque discrimina precauentur. 3. Cumque nuper ad audientiam nostram peruenerit, quod flumen ..., situm in iurisdictione tua, propter inundationes aquarum sic se pro tempore protendit horribile, ut nullus hinc inde transire uolentibus transitus obsecundet, uolentes inhabitantibus prouinciam ..., nostrorum fidelium, sed precipue quorum fidei suae meritis libenter commoda querimus, tam benigne quam salubriter prouidere, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus uniuersitatem ... ciuitatis, nullis ecclesiis ecclesiasticis seu secularibus personis exceptis, efficaciter moneas et inducas, et, si expedierit, auctoritate nostra compellas, ut pontes, uias omnes, quae circa partes et districtus ciuitatis ipsius necessario expetunt reparari, debita faciant reparatione fulciri. 4. Super quo eam diligentiam adhibere te uolumus, quam tanti boni generalitas et mandati dominici prosecutio studiosa requirit.